



Nr. 14

46

DISSERTATIONUM ANTIPORETIANARUM  
DODECADIS POSTERIORIS  
OCTAVA,  
DE  
**FIDE ET JU-  
STIFICATIO-  
NE GENERATIM,**

VIRI CLARISSIMI  
PETRI POIRETI,  
ERRORIBUS AC CORRUPTELIS OPPOSITA:

QVAM  
IN REGIA FRIDERICIANA *bv.*  
die *Augusti hujus M DCC XXI anni,*  
PRAESIDE

**D. JOACHIMO LANGIO,**  
S. S. THEOL. PROFESS. ORDINAR.  
ET ACADEMIAE h. t. PRO-RECTORE,

DISQUISITIONI PUBLICAE SUBMITTIT  
RESPONDENS

**JOANNES JACOBUS Wagner/**  
SCHLAVIENSIS POMERANUS, S. THEOL. CULTOR.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
Typis JOAN. FRIDERICI KROTTENDORFFII, Acad. Typ.





DISSERTATIO OCTAVA,  
DE FIDE ET JUSTIFICATIONE  
GENERATIM.

Locus I. Oecon. L. I. c. IX. §. V. p. 124.



I<sup>git</sup>imus modo, ut anima Deum vivide & quoad fieri potest perfectissime repre<sup>sentare</sup>t, Deum ipsum in anima praesentem adesse debere; animam autem non posse eum in se<sup>pe</sup> producere; sed libere saltem admittere. Ergo Deus per virtutem suam divinam in eadem nasci, & se ipsum in ea producere debet. (Scio vocem hanc producendi, aliasque multas, quibus utor, imperfetas esse; sed absit tamen ut Deo hoc ipso imperfectiones tribuantur: sufficit nos voce hac illud ipsum designare, quod scriptura sacra dicit generare ac nasci.) Iste hec observatio, itemque quod obiter monebamus, vera fidei principia in his contineri, eo valent, ut intelligamus, fidem esse Deum ipsum in corde hominis nascientem: ex quibus patet, neminem hominum viribus propriis fidem veram causari & producere posse: nam utut anima libertatem habeat Deum (ubi se<sup>pe</sup> praesentem offert)

A 2

ad-

admittendi; nulla tamen ei libertas, nullaque facultas competere potest, eundem producendi. Id quid inter primaria cætera karum proprietatum diligentissime imprimis observari meretur.

### Disquisitio hujus loci.

1. Deus in anima debet præsens adesse, anima autem non potest eum in se se producere, sed libere saltem admittere. Ergo Deus per virtutem suam divinam in eadem nasci & se ipsum in ea producere debet. Hæc est auctoris clarissimi argumentatio: sed consequentia hæc nulla est. Justam vero consequentiam hæc subministrant antecedentis verba: sed libere saltem admittere. Ex his enim sic erat inferendum: Ergo anima, ut libere Deum admittere possit, beneficio gratia prævenientis a repugnantia sua, quæ admissioni obstat, remittere debet.

2. Auctor quidem agnoscit, vocem producendi aliasque multas, quibus utitur, *imperfectas esse*: ideoque iis hic veniam expetit. Quod vero a veris rerum æstimatoribus eam sit impetraturus, dubito. *Imperfectione* quæ tolli nequit, facile toleratur. Sed vir doctissimus confundit voces imperfectas cum *incommodeis*: qualis omnino est, quando sine ulla sic loquendi necessitate Deus dicitur *semet ipsum in homine producere, aut in eo nasci*.

3. Immo istam loquendi incommoditatem ad ipsam τερπολογίαν usque procedere, ipse prodit auctor, quando statuit, in suis sic loquendi modis ac sentiendo hypothesis *vera fidei principia latere*, easque eō valere, ut intelligamus, FIDEM ESSE DEUM IPSUM

PSUM IN CORDE HOMINIS NASCENTEM.  
Id quod vel indicasse, est refutasse. Ineptum vero co-  
lorem huic locutionis & sententiæ portento quæri,  
mox videbimus.

4. Consectarium illud, ex eo, quod fides sit ipse  
Deus, & Deum nemo in se producere possit, ad ~~adu-~~  
~~au~~lātū de fide producenda illatum, auctor refert *inter*  
*parismata diligentissime in primis observanda*: quasi vero il-  
lad non multo rectius e statu hominis naturali & in-  
dole fidei supernaturali ad scripturæ sacræ ductum in-  
ferretur.

5. Ceterum lectors meos hic monitos velim, sen-  
sum Poireti pseudevangelicum de *fide & gratia*, quo ea  
etiam, quæ mere naturalia sunt, pro vera fide & gra-  
tia ac gratiæ effectibus habet, jam tum abunde pate-  
scere ex illis ejus falsis principiis & hypothesisibus, quæ  
supra tribus prioribus Dodecad. II. Dissertationibus ex  
instituto discussa & refutata sunt. Quæ qui hic de-  
novo conferet, ei quam liquidissime constabit, doctri-  
nae Poireti de *fide* hic nihil sere sanī inesse, & sermonem  
ejus universum fuco exornatum *redecorat* laborare.

## Locus II. §. VI.

*Nemo interim miretur, quod dicimus, fidem esse ipsum  
Deum, lumen fidei esse verbum Dei, Filium Dei æternum;  
quippe qui non tantum Divinitatem totam illuminat, verum  
etiam, Johanne docente c. I, 4, 9. VIII, 12. lux est homi-  
num, lux mundi, is qui hominem omnem venientem  
in hunc mundum illuminat, in quo est vita, hoc est in  
quo sunt realitates & perfectiones illæ, per quas nos Deum  
vivi-*

vivide representare, ac vive ejus imagines esse possumus. Quæ ut perspicue intelligantur, sciendum est, vocis fidei significationem esse variam. Fides enim alias notat capacitatem anime, qua Deum admittit, quam facultatem fidei vocant: & hec quidem non est Deus. Alias vero designat ejusdem facultatis actus, desiderium puta, vacuitatem, sui traditionem: quæ vero similiter non sunt Deus. Alias denique significat objectum ipsum in facultatibus præsens, easque possidens & illuminans: vel etiam actum objecti illuminantis & tranquillantis: & hec profecto sunt ipse Deus agens, Deus inquam, & verbum Dei, vita vera, ac fidei lumen. Hoc autem sensu nos vocem fidei nunc adhibemus, qui comprehendit id, quod in fide præcipuum est, sine quo fides mors mera erit, & tenebra mere. Ceterum in sequentibus de Fidei facultate, actibus, objecto vivifico, & objecti actibus, illuminatione puta & vita, prolixè disciciemus. Neque tamen semper ipsam vocem fidei nominatim adhibebimus: aut si eam adhibebimus, nec tamen expresse addemus, utrum de facultatibus, an de actibus earum, an vero de objecto vivifico, an de objecti actibus luminosis sit sermo; id lector ipse vel metacente videbit, cuius gratia observationem hanc de vocis fidei ambiguitate premisimus, ne cui paradoxa videretur veritas, quam diximus capitalem.

Disquisitio hujus loci.

I. Auctor placitis suis πραγμάτισμα admeturus eam auget potius, quam minuit, quando synonymiæ suæ ἀντίρρᾳ, qua fidem habet pro ipso Deo, & lumen fidei pro Verbo Dei, Filio Dei æterno, hoc sententiae portentum addit, quod Filius Dei divinitatem totam illuminet: quasi vero divinitas sine hypostasi Filii considerata omnis

## DISSSERTATIO OCTAVA.

mnis lucis esset expers. Cujus consequentiae non co-aet absurditatem si admittere detrectat lector Poiretianus, etiam antecedentis vitium agnoscatur, necesse est.

2. Ipsam animae capacitatem, qua Deum admittit, ab admitendi actibus distinctam, vocare fidem, ejusmodi est *νεοφωνία*, quae solida ratione plane destituitur, & Pelagianismum quandam haud obscure redolet.

3. Et multo adhuc est insolentius, fidem vocare objectum ipsum, in facultatibus animae praesens, easque possidens ac illuminans; vel actum objecti illuminantis & tranquillantis, sensu harum locutionum *ad ipsum Deum* relato. Auctor passim exagitat scholasticam vocum fabricam, nec tamen observat, mysticam suam ista passim haud esse saniorem.

4. Περὶ τοῦ vero ψεύδους auctoris nostri in hac sua nova fidei notione illud est, quod, ut supra Dodec. II. Differt. I. vidimus, statuit Christum ipsum, ut protovangelii protoplastis annunciat (at falsissime ab ipso intellecti & expositi) ipsis natura, ipsique eorum naturæ, ita fuisse implantarum & infusum, ut naturali propagatione in omnes homines diffusus in iis principium gratiae & lumen fidei ac ipse Deus existat. Reliqua cap. IX. ex hisce & aliis monitis Anti-Poiretianis facile dijudicanda, nec æque hue pertinentia, nunc mitto, nonnulla e cap. III. L. V. paucis excusuris.

## Locus III. e L. V. c. III. §. VI. p. 379.

*Fides justificans dicitur; quod qui ea praediti sunt, sint in via justificationis, eademque fides ad certum gradum provedita*

vecta ac dominans in iis facta, justitiam Dei iis fruendam sit datura ac ipsos justificatura: neque enim omnia effecta sua singulis temporibus, aut in gradibus singulis, multo minus uno momento & veluti incantatione facta, producit fides. Non ignoro, quod a multorum sententiis in diversum abeam, neque ea de re magis sollicitus sum, quam fuerunt ipsi de veritate solide ac libere inquirenda.

Disquisitio hujus loci.

1. Auctor statuit justificationem purificationi etiam ratione temporis postpositam, eamque collocat in Dei declaratione de perfecta nostra sanctimonia inherente per purgationem effecta: uti deinceps videbimus. Unde quid ipsi sit, esse in via justificationis, facile liquet. Et hinc simul ideam de fide justificante apud ipsum penitus corruptam fuisse, res ipsa indicat.

2. Neque is dissimulat hanc suam sententiae peregrinitatem, quando ait: non ignoro, quod a multorum sententiis in diversum abeam. Quando autem existimat, eos, a quibus dissentit, de veritate solide ac libere inquirenda non magis fuisse sollicitos, quam ipse sit de eorum dissensu; prodit animum, prajudicium variis, in primis precipitantiæ refertum.

3. Sub tractationis initium §. 1. scribit, nihil omnino minus aut saltem pejus cognitum esse, quam veram fidem, & cum, quæ alibi ea de re scriperit, prajudicis exstirpandis nondum sufficient, se rem tanti momenti ab origine & a suo quasi fonte resumere velle. Ubi tamen §. 2. nolo, inquit, prajudicia, quæ circa fidem vulgo occurrunt, ex professo & data opera convellere. Hec enim veritate ipsa rei in apricum prolata sic ultro corruent, ut ea nominasse, fuerit & que ac refutasse. Nimis sane confidenter. Quemadmodum

modum enim auctor ex una parte multa tradit, quæ ad vanam de fide persuasionem detegendam faciunt; sic ex altera apostolicam & evangelicam fidei justificantis indolem plane it sepultum, aut potius, tanquam ne recensione quidem ipsa, nedum refutatione, dignam, plane præterit, totus in eo occupatus, ut negotium fidei, quod hæc in renovatione præstat, practice descriptum Epicureæ persuasioni non male quidem opponat, ad fidem tamen etiam ea referat, quæ ab ea diversa sunt, immo etiam *naturalem conscientię statum fidei nomine insigniat*, inde naturalismum suum, de quo supra Disser. II. & III. Dodec. II. efformans, uti nunc audiemus.

#### Locus IV. c. IV. p. 391.

*Homines ad fidem exhibendam teneri, Deumque illam iis injungere, non est qui ignoret: quo sit ut dubium esse non possit, quin in fide alius quidam occurrant, quos homines ex sua parte exhibere possunt, quos si intermittant, culpam inde contrahunt, quod non præstiterint ea, quæ præstare poterant. Ex altera parte Scriptura frequenter inculcat, fidem non a nobis esse, sed donum esse Dei; id quod non minus ostendit, inveniri aliquid in negotio fidei, quod ab homine profici si nequeat, a solo Deo expectandum. Quæ veritates cum eadem utrinque certitudine manifeste sint, nostrum erit, fidei naturam aut explicationem ita proponere, ut pateat, qua ratione fides ab homine procedere queat, cum Deus illam ab ipso expectet atque exigat; qua ratione item ab homine procedere non possit, sed a solo Deo, ut scriptura testatur, prove niat.*

Disquisitio hujus loci.

1. Quando scriptura fidem a nobis requirit, non  
B nisi

nisi eam ipsam fidem intelligit, quam negat esse a nobis, ipsam non nisi pro Dei dono habens. Id vero, quod Dei donum est & tantum quibusdam obtinet, ideo ab omnibus exigitur, quia omnibus offertur. Atque ita quando fides ab omnibus requiritur, indicatur ejus necessitas in ordine salutis, & urgetur illud hominis officium, quo is a gratia fidem accensura præventus a repugnantia cessare, operationem ejus in se admittere, & accensa fide in via ad salutem uti debet.

2. Exemplo nobis sunt Judæi, qui quando a prophetis & a Christo ejusque Apostolis ἀποστολας caussa redarguntur, redarguitur in illis defectus fidei, non *naturalis*, qualis Poiretus, uti mox videbimus, fingit, sed istius ipsius, de cuius accensione prophetæ, Christus & Apostoli per doctrinæ evangelicæ præconium tantopere laborabant. Ab hac vero sententia quantum Poiretus recedat, nunc considerabimus.

### Locus V. ibid.

*Ut res adeo diversæ de fide dici & conciliari possint, necessarium esse patet, varia, que in ea inventuntur, distinguiri, quo in illius consideratione jam ad hoc, jam ad illud eorum, que diversa in ea & distinguenda occurront, respectu habitu, diversiss de ea affirmandis, sua hoc patto constet veritas. Non ab re fuerit, fidem variis nominibus distinguerre pro variis rebus, que in iis considerabimus; quoniam nomina haec; utcumque nova, res ipsas certe non variant, neque nos iis uitemur, nisi tanquam notis quibusdam ad cavendam confusio nem. Itaque nemo in pejorem partem capiet, si eam, quam Deus ab homine flagitat, homoque ei sua industria exhibere debet,*

## DISSERTATIO OCTAVA.

II

debet, fidem, fidem naturalem dixerō, aut actum fidei naturalis, aut fidem activam, quod verbis illis designatam tantum velim fidem ab homine præstandam, quæ non est nisi definitio nominis, nihil questionis habens, neque de hominis impotentia quicquam vel ponens, vel negans; neque enim ex definitione nominali quænam, ad rem pertineant, colligere datur. Eadem de causa, illud quod in fide non nisi a Deo descendit, ab homine vero præstari non potest, appello fidem supernaturalem, sive actum fidei supernaturalem vel simpliciter Fidem divinam, quippe quæ non nisi a solo Deo procedat. Erunt forte, quibus termini hi omnimode non sapient: verum tametsi alii uti maluerim, aptiores mihi reperire neutiquam licuit. Quicquid sit, cum eos non adsciscam, nisi ad evitandam confusione in re diversos sensus, diversosque respectus admittente, quid interest, quos terminos eligam? Quod si usus ferret, ut res Theologicæ ea ratione qua Mathematicæ tradarentur, liceret fidem, quam Deus homini imperat, appellare A; eam vero, quam solus Deus suppeditare potest, B. atque ita nemo haberet, quod quereretur: at nolim insisteret vias captando ridiculus videri. Satis erit terminis ad quotidianum usum magis accedenibus uti, quoniam & in ipsa Scriptura simile quid occurtere offenditur sum; ac præterea sollicito cavebo ne malitiosum sensum, in quem Pelagianæ heresis vocem hanc Fidei naturalis, quam me usurum dixi, detorquere posset, admittant lectorum animi. Transeamus ad eas observationes, que rei essentiam propius respiciunt.

Disquisitio hujus loci.

i. Non sufficit aliquid distingueare, sed videndum in primis est, an distinctio fundamento nitatur, & lo-

B 2

cum

cum habeat, nec ne. Hanc certe fidei distinctionem in *naturalem & supernaturalem*, sensu ejus ad salutis ordinem relato, fundamento carere, manifestum est omnibus, quicunque, quid *natura & gratia* sit, non ignorant, & ab utriusque confusione sunt alieni.

2. Fatetur Auctor, se *novis* uti *nominibus*, sed per-  
peram negat, ea res ipsas variare, caussatus, se iis tan-  
tum uti ad cavendam confusionem. At hanc cum  
notionum ipsorumque dogmatum novatione revera  
induci, res ipsa ostendit.

3. Per *fidei naturalis*, quæ vocatur, hypothesin de  
hominis impotentia quidquam vel poni, vel nega-  
ri, Auctor quidem negat; at per eam *naturalismum* i-  
stum, qui jam tum Dissert.I.II.III. detectus ac refutatus  
est, stabiliri, aut exornari, mox percipiemos.

4. Negat is præterea, aptiores se terminos repe-  
rire potuisse: At cur non loquitur cum scriptura, si  
cum ecclesia loqui detrectat? Quemadmodum vero,  
ab ecclesia *reοφωνιας* suam recedere, ipse fatetur, sic ad  
scripturam ipsum frustra provocare, deinde videbi-  
mus.

5. In quantum Poiretus a Pelagiana hæresi absit,  
& in quantum ipse novum quendam Pelagianismum  
statuminet, jam tum supra Dissertat.III. Dodec. post.  
ostensum est. Absit per omnem modum, ut ipsi  
quidquam, a quo alienus est, tribuatur. Sed absit et-  
iam ab examine istud credulitatis vitium, quo, quæ-  
cunque aliquo modo nitescunt, aurea esse credamus.

### Locus VI. §.VI. p.392.

*Revolvenda sunt ea, quæ in Capite II. de cooperazione,*  
*item-*

## DISSERTATIO OCTAVA.

13

itemque sub initium libri tertii c. 6,7. diximus, Deum in hominem mediis in tenebris harentem, siveque impotentiae immersum, se insinuare, ut lumen divinum ei offerat, cuius & radios ei quosdam ostendit, bonosque motus sentiendos praebet. Quod lumen cum non sit nisi verum lumen Fidei, seu Fides objectiva & praeveniens, perspicuum est, hoc sensu, antequam Deus suam gratiam hominibus ita offerat, eosque impressionibus & interioribus principiis fidei imbuat, illos recipiendo lumini idoneos se reddere non posse, neque præparacionem ullo bono opere prestitio adhibere: hunc namque adventum gratie & luminis Fidei in anima non nisi mere tenebrae & merum malum procedunt. Lux oritur in tenebris. Eo sensu dici potest, omnes homines, qui in mundum veniunt, quique in eo sunt, fidem aut lumen fidei habere; neque tamen eos credere, adeoque eos fide carere dum fidem habent, hoc est, dum Deus divinum suum lumen intus in offert, illud non possident, neque eo fruuntur, multo minus illud fructuosum reddunt; quoniam sua cooperatione, aut fide activa, & Deo ipsis injuncta, illud non acceptant. Lux, inquit Johannes c. I.5,9,11. quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum, ad Iua venit: sui vero eam non receperunt: itemque lucet ea in tenebris; sed tenebræ eam non comprehendenterunt, sea admiserunt; & in evangelio passim ostenditur, multis quidem lumen obtigisse, neque tamen eos in lumen credidisse, verum illud repudiasse, tenebrarum suarum amore prevalentem, quo & pertinent, quæ alio loco (L. III. c. VI. n.5.) egregia Augustini verba laudavimus: mecum eras, & tecum non eram. Similes diceres domino fundi, in quo magnus quidem thesaurus absconditus lateret, quem tamen ille nescire velles: qua ratione thesaurum

B 3

thesaurum

saurum haberet quidem, non tamen possideret medis in divinitate inops. Quoniam de fide hoc sensu (quem alibi prosecuti fuimus,) hic non agimus, hæc observatio nobis hic sufficiat, quam quidem ad evitandam confusionem in iis, quæ sequentur, repetere volui.

### Disquisitio hujus loci.

1. Allegato capite II. multa dicuntur satis bene & præclare de libertate hominis, quod is in facultatibus mentis a Deo præventus & excitatus omnino habeat libertatem obsequendi, aut non obsequendi, & se hoc ac illo modo determinandi. Quæ et si in thesi recte se habeant, virtus tamen laborant ex hypothesi Poireti; utpote qui naturalem conscientię ducunt, naturæ corruptæ post lapsum relictum, gratiæ proprie sic dictæ nomine vestit, atque ita hominis cooperationem non e gratiæ, sed e naturæ, viribus derivat; quidquid dicat de gratia.

2. Et hoc ipsum principium Auctor allegatis capp. 6. & 7. L. III. pluribus proponit & incrusat; sed itidem sine ullo fundamento: quemadmodum Dodecadis posterioris Dissertatione III. eidem opposita demonstratum est.

3. *Omnis in universum homines fidem, aut lumen fidei habere, nec tamen credere, non solum est paradoxo, sed etiam falsum ratione membrum prioris.* Ut taceamus male cohædere, quod *è habere & possidere, & ita habere,* ut oblatum modo, nec acceptatum sit, pro synonymis habeantur.

4. Locus Jo. I, 5, 9, II. jam supra Dodecad. II. Dissertatione II. p. 15. seqv. vindicatus est.

5. Lu-

5. Lumen istud, quod in Evangelio passim ostenditur multis obtigisse, sed a plurimis rejectum esse, non est illud, quod Poiretus fingit, cuivis homini jam natura esse insitum, & ipsi ex ipsa insitione offerri secundum hypothesin Dissert. II. & III. Dodécad. II. destrutam; sed lumen, quod per ipsum Evangelii præconium externum offerebatur, uti jam supra ad Loc. IV. n. 2. ostensum est.

6. Locum Augustini vindicatum videas allegata Dissert. III. p. 30.

7. Et quando istud principium suum pro magno thesauro in fundo animi latente habet Poiretus, sensu ad negotium salutis relato, pro thesauro carbones venditat.

### Locus VII. §. VII. p. 393.

*Postquam Deus luminis sui gratia hominem ita prævenit, si homo legitime respondeat, sive, uti aequum est, cooperetur, (cooperatio enim spuria non nisi fidem mortuam, & mancas quasdam velleitates, ut ita loquar, procreans, nullam hic considerationem meretur) si homo, inquam Deo legitime respondeat, desiderium suum ejusque actus lumini a Deo sibi detecto, ipsique Deo, qui ejus fons aut ipsum potius lumen est, applicans; tum quidem format actum fidei hujus, quam naturalem seu activam dixi, queque in eo consenserit, quod hominis desiderium à Deo excitatum & prævenatum, ad Deum quibuscumque potest conatibus atque actibus feratur. Hoc ab homine fieri posse, dum de cooperatione hominis sermo erat, ostendimus: non quod a peccato actum hunc ex fundo naturæ sue corruptæ [quotenam talis & sine Dei gratia] depromere possit; verum eadem hæc natura, gratia Dei*

Dei se in eam insinuantis adiuta, activitatem desiderandi suam gratia huic divine jungere potest, & ita hunc fidei naturalis actum efformare. Quemadmodum ad animae naturam intereratam pertinet, bonum infinitum desiderare, hoc est, actus fidei, que rebus sic habentibus naturalis dici potest, exercere, ita & anima per gratiam Dei eum in statum restituta, ut actus nonnullos iis, qui ex primae creationis lege naturales sibi fuerant, consimiles efformare queat, nihil impedit, quo minus his actibus, eorumque principio (desiderio) nomina fidei naturalis actumque fidei naturalis competere possint, si quidem, (quod repeto) de natura per gratiam ad eum statum aut gradum reducta, ut hoc possit, sermo est. Quo perspicuum fit, hanc loquendi formulam, fides naturalis suo fundamento non destitui, utri nec exemplo caret; eodem enim sensu Paulus Rom. II, 14, 27. ait, esse inter gentiles, qui ea quæ legis sunt, natura faciant: neque ullus est, qui dubitet, legem amoris divini legis naturalis nomine posse significari. Atque amor Dei & fides, quoad rei substantiam eadem sunt; ut nemo dein mirari possit, fidei eadem imponi nomina, quæ amori & legi amoris; adeoque de fide naturali, deque actibus fidei naturalis mentionem fieri. Non frustra est, quod patrocinium vocis (quæ quidem res inter ingenia liberalia nihil questionis habere debet) hic urgeam: neque enim ignoro, quantis tumultibus miscerent calo terram turbulenta quædam ingenia; quæ si impediatis, ne effervescent, neve aliorum auribus molestia garralitate obstrepat, beneficio sane obliges.

### Disquisitio hujus loci.

1. Quid in universo hoc sermone juste desideratur, jam ex iis, quæ ad præcedentia loca dicta sunt, satis

## DISSERTATIO OCTAVA.

17

satis liquet: scilicet *naturam gratiae nomine vestiri*. A qua tamen hypothesi Auctor hic in tantum quoad elocutionem recedit, quod quæ mere *naturalia* sunt, etiam ipse quidem *naturalia vocat*, sed ipsa tamen ista *naturalia*, tanquam principium *gratiae*, e quo in negotio salutis genuina detur cooperatio, substernit.

2. Locus Pauli Rom. II, 14, 27. jam tum a sinistra hac applicatione vindicatus est Dodec. II. Dissert. III. p. 16. ubi ostensum est, Paulum non loqui de aliquo *gratiae* proprio sic dictæ principio, ad cooperationem hominis sufficienti, sed de *lege morali*, atque ita de *jure & lumine naturæ* stricte sic dicto, *naturæ humanæ* post lapsum relieto, & principio *gratiae* evangelico opposito, saltem ab hoc maxime distincto.

3. *Amorem & fidem* quoad rei substantiam *idem esse*, falsum est, deductum ex falso isto principio, secundum quod Auctor jus illud mere *naturale*, quo homini pro ipso conscientiæ ducet amor Dei injungitur, pro fide habet. Conferenda hic sunt ea, quæ supra Dodec. II. Dissertat. VI. & VII. de natura & proprietatibus fidei dicta & demonstrata sunt.

4. Vocibus per me uti posset Auctor pro lubitu suo, modo consentiret in re ipsa. At cum hic dissensus sit ingens, sed vario verborum patrocinio, aut auctoripio, tectus, error e latebris istis est protrahendus; in primis cum is ita comparatus sit, ut universam præx eos christianæ indolem vitiet.

5. Cum turbulentis ingenii nihil plane est commercii illis, qui veritatem evangelicam amant: sed illi ipsi non minus abhorrent a theologia obstrepentis

C

garru-

garrulitatis pseudomystica, quam a matæologia inconfultorum genuinæ theologie mysticæ oforum.

6. Quod Auctor p. 398. e judicio Malebranchii de gratia, qualem Jansenistæ tradunt, pronunciat: *Non sine causa profecto, inquiens, doctrinam Jansenistarum de gratia merum & inanem verborum & repetitum vocat Malebranchius, utinam alio respectu de sua ipsius doctrina agnoscere!*

7. Quæ alias pag. 394. usque ad p. 433. prolixo sermone de exercitio facultatum mentis, tanquam de negotio fidei tradita occurrunt, brevitatis causa prætereo, utpote ex observationibus hactenus datis facile dijudicanda. Utinam multis vere & præclare dictis non subefflent falsi principiï & applicationis haud genuinæ semina! Pergo ad eam fidei definitionem & definitionis declarationem, quæ c. IV. §. 4. p. 411. legitur.

### Locus VIII. n. LXVI. p. 433.

*Ex iis, quæ de fide hactenus dixi, ejus definitionem, vel, si mavis descriptionem, paucis verbis facile licebit colligere; itemque observare, quid sit credere in Patrem, & in Filium & in Spiritum Sanctum. Fides est deditio desiderii, spiritus, cordis & libertatis nostre, soli Deo confidenter & vere facta, cui deditio inseparabiliter coheret intima presentia Dei, desiderium animantis, intellectum illuminantis, cor pacificans, omnesque animæ motiones formantia atque dirigenlia ratione, qua divina ejus maiestati collibet.*

Disquisitio hujus loci.

1. Per fidem fieri ditionem animi facultatum cum incremento sanctificantis, seu inceptam sanctificati-

cationem continuantis gratiæ, per se verissimum est. Sed a vero abhorret, hoc fidei officio universum ejus negotium ita absolvit, ut indolis ejus θητικῆς & evangelicæ ne mentio quidem fieri debeat.

2. Fides, qualēm Poiretus describit, nil fere nisi mera lex est, sēu ad legem, præcipue ad præceptum decalogi primum, pertinens. Fides evangelica & oeconomica quid sit, partim nescit, partim scire dissimilat: & ex eo quidem principio, quo ipsi Evangelium ipsum universum in cultu Dei est res accessoria; uti Dīssert. III. Dodec. post. vidimus. Quam vero superficiarie & corrupte evangelium intelligat tradatque, supra in plerisque Dodec. prioris Dissertationibus ostensum est. Audiamus nunc, quomodo suam fidei definitionem declarat, officio ejus ad singulas sacrosanctæ Trinitatis personas relato.

### Locus IX. p. 433.

*Credo in Patrem, hoc est, desideriis omnibus propriis & particularibus renuncio, & omnes desiderii mei conatus desiderio infinito & essentiali Dei Patris trado, ut ille mihi se associet; meque lumen Filii & pacem Spiritus S. mōdo Deo dingo desiderare faciat.*

*Credo in Filium, hoc est, intellectum meum evacuatū lumeni Verbi Divini resigno, ut tenebris meis me exsolvat, meque modo quodam ineffabili, & rationi ac sensibus meis incomprehensibili collusfreret, quemadmodum sacrosanctam humanitatem suam collusfravit & direxit; qui pro explorato habeam, eum ex illuminatione hac, utut in me generali hactenus & implicita, totidem radios particulares, & conglutinationes distinctas atque peculiares rerum tum divinarum*

C 2

tum

tum humanarum, mysteriorum sacrorum, verumq; tum quæ jure, tum quæ factō continentur, in me effusorum, quot ad salutem meam necessaria esse perspexerit; persuasus quoque in lumenib; singulis, quæ ab illo mihi orientur, non posse non infinite plus bonitatis, sapientie, justitiae & veritatis contineri, quam quicquid ejus mihi licet mente comprehendere.

Credo in Spiritum S. dicit: fundum hunc cordis mei, ad quietem & acquiescentiam aspirantis, principio quietis, pacis atque acquiescentie, quod in Deo est, Spiritui nempe S. resigno, ut ille mecum unitus, in me divinam hanc acquiescentiam, quæ Deo placet, procreet; & per divinos suos refluxus atque recursus in desiderium ac lumen divinitatis, quicquid in me invenitur, ipsumque principium libertatis meæ, ad Deum & in Deum deferat ac dirigat.

#### Disquisitio hujus loci.

1. Videret lector, in ubiōre hac fidei declaratione omnia recidere ad naturam ejus legalem, indole ejus evangelica, quæ Dissertatione antecedenti ex instituto descripta & illustrata est, ne unico quidem verbulo commemorata.

2. Et legalis ista fidei natura præcipue manifesta est ex eo, quod ea ad Filium Dei nullo alio respectu hic refertur, quam ad eum, tanquam sanctificatorem, redēptionis ejus, & justitiae ea partæ & applicabilis, quæ tamen evangeliū centrum est, ut vel mathematica cum evidētia Dodec. II. Dissertat. V. cum Dissert. V, VI, VII & VIII. Dodec. prioris collata, demonstravi, ne ulla quidem mentione facta; utpote ab ipso alibi explora; quemadmodum partim ex iisdem, partim etiam ex aliis Dissertationibus liquet, & ex iis, quæ proxime

xime

xime securæ sunt, pluribus constabit.

3. Applicatio loci Paulini I. Tim. I, 12. *Seio, cui credidi, qui potens sit, ut custodiat depositum meum usque in diem illam,* genuina nequaquam est, quando eum auctor deinceps p. 435. unice referre ad nostrum regimen, illud nostri ipsius & nostri regiminis, quod ipius fidei commiserimus, depositum vocans, prætermisso illo, quod in deposito isto, secundum sermonis Paulini συνάφειαν precium erat, non tam a nobis fidei Christi, quam a Christo fidei nostræ commissum. Considereremus nunc locum ultimum, quo Auctor caput IV. de fide concludit.

### Locus X. p. 436.

*Fides pro gradibus his tribus, triplici etiam germine, ut ita loquar, salutarium effectorum exuberat. Fides desiderii conversionem parit: Fides luminis, purificationem; fides vero dominans & acquiescentiae iustificationem. Ex tribus vero in unum confluentibus, regeneratione nascitur, seu vita vere Christiana, hodie multo rarissima, neque tam obvia, quam vulgo somniant. De primo horum effectorum nihil hic addam, cum fundamenta eius, quæque maxime in ea consideranda veniunt, paulo superius (supra c. II.) tradiderim: verum cum in secundo æque ac tertio ea inspicienda restent, ex quibus magnarum rerum momenta pendeant, æcum erit is paulo longius inherere; id quod subsequentium capitum erit argumentum.*

Disquisitio hujus loci.

1. Secundum scripturam sacram fides proprie dædemum in conversione existit; sed ex hypothesi Poi reti ista conversionem parit, hac prior.

C 3

2. Cum

2. Cum vero ista fides, uti haec tenus vidimus, nihil sit nisi natura, seu proprietas facultatum animi naturalis; inde liquet, naturam ipsam pro conversionis causa re ipsa haberi, quidquid verbis auctor contradicat.

3. Et quando auctor justificationem, tanquam fidei dominantis & acquiescentis effectum, non solum conversioni, sed purificationi etiam, h. e. renovationi (uti mox videbimus) & quidem ipso temporis ordine, postponit, jam in antecedentium facile potest colligi, quam ἀγράφως & ἀντιγέραφως de justificatione sentiat.

4. Et quando ex hisce tribus, conversione, purificatione & justificatione, in unum collectis, regenerationem constituit, νεοφωνίαν suam cum ipsa dogmatum novatione multiplicat. Quam vero corrupte de regeneratione statuat, supra Dissert. IV. Dodec. posterioris percepimus.

5. Et de hoc ipso triplicis istius operis ordine post tractatain purificationis doctrinam c. V. p. 444. ita statuit: *In hoc quasi (afflictionum interiorum) inferno & liberatoris opem implorare discimus, & sorores has omnes per ipsum gratiam vel ad minimam usque & intimam radicem penitus eliminare.* Et hac quidem ratione PURIFICATIO absolvitur, quam subsequuntur JUSTIFICATIO, REGENERATIO, tandemque salus aeterna. Hic videmus, justificationi, atque ita etiam fidei justificanti cum emphasi sic dictæ, secundum hypothesin Poireti tum demum locum esse, quando renovationis negotium non solum est inchoatum ac continuatum, sed etiam penitus

nitus absolutum. Quam heterodidas caliam indicasse est refutasse. Cum vero in prolixa tractatione de fide & purificatione nullam Christi, ut redemptoris & ejus redemtionis mentionem fecisset, justam hanę hujus capitalis defectus exprobrationem occupatione quadam a se amoliturus, ibidem, nimirum c. V. §. XI. p. 444. caussam suam ita dicit ornatque:

### Locus XI.

At vero, opponent nonnulli, ubi ergo in his omnibus JESUS CHRISTUS erit, ubi ejus meritum, ejus sanguis purificationis ab omni peccato, ejus mors, ejus iustitia imputata & imputanda? Egregia vero questio, quæque satis docet, quam incognitus vere sit Christus. Tantane, o bone Salvator, possit esse tui ignorantia, ut te abesse querantur, quando de purificatione cordis verba fieri audiunt, sine syllabis nominis tuū pronunciatis! Appareat, cheu, satis superque, CHRISTUM non nisi iter aliter & historice cognosci, ut eum scilicet, cuius historia in Evangelio commemoretur; non vero ut qui in cordibus vivax adsit. Ipsum hoc lumen, quod purificat animam, JESUS CHRISTUS est, qui Ephes. III, 17. in cordibus habitat per desiderium & per lumen fidei, unus Jesus Christus, infinitumque mortis ipsius & intercessionis pretium, animæ purificationem hanc, viresque eam per ipsum sustinendi, promeruerunt. Ille ipse, ejus sanguis & meritum, ejus iustitia arque integritas, ac efficacia mortis ipsius, eo purificationis tempore in anima operantur & laborant, non quidem imaginaria quadam persuasione, imputationeve quadam a conformatioне aliena; sed realiter & inhabitanter, aut, si mavis, subiective & inhærenter; quoniam Spiritus Christi,

ſi, qui in eo homine realiter & inhaerenter inefi atque operatur, cum merito, cum interceſſione, cum morte & iuſtitia Christi indiſſolubiliter cohæret. Anima, ut puriſetur, nil agendum eſt, niſi ſe in mortem Filii Dei, in ipſius Spiritum mortis & paſſionum, itemque meriti & virtutis diuina, ut immergat. Tradat ſe modo voluntati Patris, calicem offerentis; & voluntati Filii, ei ſe resignantis; oretque non ut ſe exonerata ad Filium extra conſideratum omnia trajiciantur; ſed potius ut Filius in intimo corde per lumen fidei habitans, ut, inquam, Filius hic diuinus, omnia promerens, potens, patiens, ſuſtinens & agens, virtutem, robur, patientiam, reſignationem malique mortem, in ipſamet inque intimis ſuis efficiat, promereatur, ſuſtineat & procreet, & quidam ea- dem ratione & potentia, eademque merito & eadem virtute atque id efficit in ſemet ipſo, cum ſe ſanctificaret & puriſcareret ab imperfectionibus ac maledictione naturae noſtre corruptae, quam quidem ex amore noſtri ipſe ſibi imposuerat, quo veræ noſtre purificationis in ſe ipſo & in virtute Spiritus ſui viam, cauſam ac media nobis traderet.

#### Disquisitio hujus loci.

1. Quæſtio iſta objectionem de intermiſſa Christi, tanquam redemtoris, mentione referens non erat explodenda, tanquam absurdā, & quidem cum exprobratione de Christi ignoratione per quæſtionem iſtam prodita; ſed iuſtissima eſt, erroris non incrustationem, ſed ingenuam confeſſionem ac emendationem requiriens.

2. Mysticorum ſcriptorum plurimos ita de purificatione cordis agere, ut verum purificationis fon- tem, qui in Christi redēmptione eſt, non ſolum syllabis non

non attingant, sed ne latentiori quidem modo ac re ipsa respiciant, exploratum est prudentioribus eorum lectoribus. Unde ab his theologiae ipsorum pseudomysticæ character præcipuu in ipso hoc defectu re cte ponitur.

3. Christum a plurimis non nisi historice & littoraliter tantum cognosci, verum quidem & dolendum est: at hic abusus in praxi positus nulli scriptori dat potestatem, ut in doctrina de purificatione & de fide momentum istud primarium, tanquam suppositum, plane omittat.

4. Et ipsum illud suppositum Poiretianum de purificatione, per Christi sanguinem, mortem & meritum obtinenda, nequaquam esse sensus evangelici, supra Dissertat. Dodecad. prioris pluribus e Poiretiano Systemate ostendit. Nec falsi istius sensus hic manifesta defunt velfigia.

5. Nam *purificationis* vox in genuino sensu typico & antitypico præcipue opponitur isti peccati *impuritati*, qua in gravissimo *reatu* est; atque ita hoc respetu de peccati *remissione*, qua tollitur reatus iste, accipitur, quemadmodum ex utriusque Testamenti locis majori copia adductis & declaratis, Dissertat. VII. & VIII. Dodecadis prioris demonstravi. Auctori autem nostro *purificatio* per Christi sanguinem hic nihil est aliud, quam renovatio, in peccatorum foribus eluendis & novitate vitæ augenda consistens.

6. Et cum purificationem imputatam & effectivam conjungere debuisset auctor, illa negata pro hac sola, sed ita in cassum, laborat, animas pro pascuis

D

evan-

evangelicis in deserta sua pseudomystica, arida illa & anxia , abducens.

7. In imputatae, seu imputandæ, purificationis negatione hanc apud ipsum sinceritatem desidero , quod eam in vaflo illo corpore oeconomia suæ nunquam bona fide secundum eam formam, qua in libris Theologorum evangelicorum ad Scripturæ sacræ dictum proposita legitur, referat, & sic repetitæ *vōθēav* adductis argumentis demonstret: id quod saltem tentare debuisset: sed quoties eam cum scopo destructionis allegat, semper hæret in *solo ejus abusu*, quæ est imputatio putativa, extra salutis ordinem ab improbis confusa, & cum negatione effectivæ purgationis & nostra cum Christo conformitatis conjuncta: quasi hæc ipsa pestilentialissima sententia & detestanda praxis esset ipsa evangelice ecclesiæ doctrina, & ob suam impietatem a se omni jure impugnetur ac explodatur, suo solitario renovationis dogmate in locum ejus substituto. Utì alias semper, sic etiam hic procedit auctor, quando dogma apostolicum de imputatione justitiae Christi vocat *imaginariam quandam persuasionem, imputationemve quandam a conformitate alienam*, ei purificationem reali-*ter & inhabitanter*, seu *subjective & inhærente*, ut loquitur, talem opponens. Qui coram universa ecclesia frequentatus scribendi modus extreme sophisticus quomodo Oeconomia Poiretanæ admiratoribus cum eo pietatis gradu, quem Auctori tribuunt, conciliari possit, ipsi viderint.

8. Verba ista *meriti, intercessionis, mortis & justitiae Christi* hic repetita , sensu carere evangelico , ex ipsa Oecono-

## DISSESTITO OCTAVA.

27

Oeconomia Auctoris supra posterioribus Dodecad. I.  
Dissertationibus ex instituto demonstratum est. Unde  
lectorem meum, ne ea hic denuo reponere cogar, eo  
remissum velim. Et quid opus prudentibus est ali-  
qua iustius demonstrationis repetitione? Ipsa omnis  
veræ imputationis negatio & justificationis in alienis-  
simum sensum manifestissima detorsio (cujus anato-  
men Dissertationes sequentes exhibebunt) tanquam  
consequens liquidissimum documentum est negati an-  
tecedentis, seu negatæ satisfactionis & expiationis  
forensis, negatæque iustitiae partæ & imputabilis, & sic  
etiam negati meriti proprie sic dicti.

9. Et hoc ipso sensu, a notione forensi plane a-  
lienno, intelligit Auctor phrasin, *se in mortem Filii Dei,*  
*in ipsis Spiritum mortis & passionum, itemque meriti & vir-*  
*tutis divine immergere*, de anima purificanda adhibitam  
& deinde *ἀπέστως* ita declaratam: *Tradat se modo volun-*  
*tati Patris, calicem offerentis & voluntati Filii, ei se resi-*  
*gnantib; oretque (nunc audiamus errori disjunctionis*  
*in rebus conjunctissimis additum explosi sensus foren-*  
*sis sophisma) non ut se exonerata ad Filium extra conside-*  
*ratum omnia trajiciantur (quasi ullus evangelicus*  
*christianus Epicuream ejusmodi nostri exoneratio-*  
*nem, ad negationem crucis & conformitatis cum*  
*Christo tendentem, statueret!) sed potius ut Filius in in-*  
*timi corde per lumen fidei habitans efficiat κ. τ. λ.*

10. In verbis: *Eodem merito & eadem virtute atque*  
*id effectit in semet ipso, cum se sanctificaret & purificaret ab*  
*imperfectionibus ac maledictione naturæ nostræ corruptæ &c.*  
repetit suam grandis erroris hypothesin de ejusmo-

D 2

di

di peccati onere gravissimo, quod eidem Christo intime cum interiore & vehementissima sollicitatione inhaerit, inde ortam, quod negat, Christum jure voluntarie sponsionis loco humani generis ejusdem peccata expienda suscepisse, & tanquam victimam succedaneam expiasse. Quod quia negat, & tamen idem legit, Christo cum peccatis fuisse negotium, istius erroris necessitate coactus prolapsus est ad hunc de peccatis Christo inherentibus & ab ipso intra se devictus. Vide quae hac de re supra Dissertationibus Dodecad. prioris jam allegatis fuse dicta sunt. Restat locus ultimus ejusdem commatis.

### Locus XII. §. XIII. p. 445.

*Praxis barum rerum & experientia veteri Adamo est ingratisma; eadem enim ejus est mors: ipsaque adeo theoria nullius fere palato sapiet. Scilicet libenter optaret non ea, qua diximus, ratione pati & mori; sed hilariter haec omnia trahicere in Christum quandam prorsus extraneum, non Deum illum vivum cordis, Deum qui in intimis anima habens, Spiritu suo ibi operetur, eosdemque labores quos in sacrosancta sua humanitate sustulit absolutique. Evidem nisi hoc est Christum, ejusdemque divinitatem, meritum, vitam & mortem revera negare & idolum quoddam brutum ac ligneum penitus extra nos possumus; cuiusque virtus in imaginariam quandam imputationem, in ens rationis resolvatur, substituere; fatendum mibi erit, me veritatem a falsa & vanity specie nulla ratione posse discernere.*

#### Disquisitio hujus loci.

1. Prudens lector hic denuo observat, Autorem eadem

cadēm chorda oberrare, seu a pudendo abusu doctrinā de satisfactione & imputatione argumentari ad eam ipsam damnandam & indignis modis traducendam. Sic ipsi placuit per universum fere systema suum cum larvis pugnare. Quæ disputandi methodus eo est indignior, quo plus mathematicæ ~~explicatio~~ & evidentiæ passim jactat.

2. Quod Poiretus sub hypothesi haud concessa ponit, *sibi facendum esse, se veritatem a falsa & vana specie nulla ratione posse discernere*, ego certe arbitror hic in ipsa thesi esse verissimum. Ipsum enim pro solida veritate in multis doctrinæ christianæ partibus vanam speciem consecutari, eaque ita fuisse occupatum, ut veritatem ipsam nulla ratione a vana ejus specie possit discernere, adeo hactenus ad liquidum deductum est, & porro deducetur, ut inter lectores peritos, saltem dociles, qui hac de re dubitari possit, credam esse neminem.

3. Quæ in Oeconomia porro sequuntur de *purificatione*, ex hactenus dictis facile possunt dijudicari. Et cum auctor cap. VI. & VII. *purificationem*, seu ejus consummationem plenam, etiam ad statum post mortem referat, & ei tamen vel ipsa tractandi serie denuo cap. VIII. dogma de *justificatione* subjungat, præter ea, quæ de ista ordinis inversione jam sparsim dicta sunt, jam in antecessum potest colligi, quo is sensu istam vocem ipsumque dogma accipiat. Sic enim inchoat cap. VIII. *Purificationem factam subsequitur justificatio, sive in hac, sive in futura vita.* Sed hujus materiae disquisitionem Dissertationibus proxime sequentibus reservo.

PR AESES  
RESPONDENTI

S. P. D.



*Iffertatio hac mea, quæ per de-  
fensionem publicam etiam tu-  
a fit, carissime Wagnere, a-  
git de corruptelis, quas do-  
ctrina de fide in Oeconomia  
Poiretiana subiit. A te vero ejus defensore  
quid requiram, & quid tui sit officii, vel me non  
monente facile intelligis. Talem te geres in a-  
du academicæ collocutionis publico, qualem do-  
ctum & frequens auditorium exspectat, & mea  
moderatoris consuetudo requirit. Nosti enim,  
& norunt omnes, quotquot exercitiis nostris in-*  
*ter-*

terfuerunt, me respondentes, ut suam exercere possint iuvantia, diutius desertos sua ipsorum fiducia, suisque viribus, permittere, & ipsis tum demum subvenire, quando nodus solitu difficultior incidit, & res ipsa aliquam declarationem exigit. Te ergo, quod spero, virum prestabis; quandoquidem, uti antea in Argentoratensi, ita etiam in Fridericana nostra Academia ex aliquo tempore a necessariis fuisti instructus. Ceterum tui quid sit officii circa materiam, quam tractamus, ipsam, ipse nosti: scilicet ut erroribus agnitis nunquam non studeas veritati in ipsa fidei & vita praxi. Et hec fidei praxis eo magis erit genuina, quo negotium fidei in egyptiis cum ληπτικῷ in ea erit conjunctius; ita ut λῆψις beneficiorum officiorum in egyptia promoveat, & in egyptia hec comprobet, λῆψιν istam non imaginariam esse, sed veram. Ita praxim tuam per vitam omnem in fide esse versaturam, eo certius

ius spero ac confido, quo plus industria in hujus doctrine theoria recte percipienda hoc usque adhibuiisti, eamque vita ira exornasti. Dabis itaque operam, ut spem meam impleas & hac ratione etiam venerandi Parentis & ipsius ecclesiae expectationi respondeas. Hal. Saxon. Id. Aug. MDCCXXI.



73 5225

ULB Halle  
002 698 757

3



St

Nb 18

Mt



B.I.G.

Black  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

Farbkarte #13



DISSEMINATIONUM ANTIPOIRETIANARUM  
DODECADIS POSTERIORIS  
OCTAVA,  
DE  
**FIDE ET JU-  
STIFICATIO-  
NE GENERATIM,**  
*VIRI CLARISSIMI  
PETRI POIRETI,  
ERRORIBUS AC CORRUPTELIS OPPOSITA:  
QVAM  
IN REGIA FRIDERICIANA *bis.*  
die Augusti hujus M DCC XXI anni,  
PRAESIDE  
**D. JOACHIMO LANGIO,**  
S. S. THEOL. PROFESS. ORDINAR.  
ET ACADEMIAE h. t. PRO-RECTORE,  
DISQVISITIONI PUBLICAE SUBMITTIT  
RESPONDENS  
**JOANNES JACOBUS Wagner**  
SCHLAVIENSIS POMERANUS, S. THEOL. CULTOR.*

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
Typis JOAN. FRIDERICI KROTTENDORFFII, Acad. Typ.